

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5082

**Auteur(s) :** Alexandre III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Étienne, Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1163, 12 avril

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Alexandre III ratifie les biens de Mortemer, notamment la vallée de Mortemer, Beauficel[-en-Lyons], Bosquentin, La Pommeraie, Le Roule, « Quercus Giheri », La Mésangère, Brémulle et d'autres donations des terres ; confirme les priviléges donnés par le roi Henri Ier ; ratifie la sentence donnée par Hugues, archevêque de Rouen, contre les moines du Pin ; interdit aux clercs et laïcs d'exiger la dîme de l'abbaye de Mortemer.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 116, p. 210-211.
- b. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century, its History and its Cartulary*, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 7, p. 196-199.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2e éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 10848, t. 2, p. 167.

Texte établi d'après a

« Privilegium domni Alexandri pape III. »

[A]lexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Stephano abbatii monasterii Mortuimaris eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quociens illud a nobis petitur quod religioni et honestati noscitur convenire animo nos decet libenti concedere et potentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in domno filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et predecessorum nostrorum felicis memorie Innocentii et Eugenii Romanorum pontificum vestigiis inherentes beate Dei genitricis semperque virginis Marie monasterium in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, in primis statuentes siquidem ut ordo monasticus qui secundum Dei timorem et beati Benedicti regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum in vestro monasterio institutus esse dinoscitur prope tuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessions, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante

domno poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis ; vallem videlicet ipsam Mortuimaris in qua ipsum monasterium situm est cum omnibus suis pertinentiis, scilicet XXX acris terre circa monasterium et domos vestras, grangiam et domos quas habetis in landa de Belfussel cum CLVII acris terre, grangiam de Boscentin cum CXLIII acris terre, terram de Pomeria que vobis a Roberto de Dangu donata est cum grangiis et omnibus pertinentiis suis ; terram quam habetis in loco qui Rollum dicitur cum stagno et molendino et aliis edificiis vestris, terram de Musingeria que vobis a predicto Roberto de Dangu et Baldrico de Bosco et hominibus eorum Radulfo Baignardo fratribusque eius donata est, terram de Quercu Giheri quam vobis in foresta de Tellis vicedomni de Gerboredo Helias scilicet et Petrus donaverunt concessionem gloriosi regis Francorum Ludovici, terram etiam totam de Bremulia que vobis a diversis in elemosinam perpetuam donata est, grangiam quoque vestram et omnes terras quas habetis apud boscum Hugonis ex dono Rainaldi de Bulis tres carrucatas terre, totam etiam terram quam apud eundem locum habebat Willelmus Havor, terram quam habetis ex dono Hugonis de Advesnis ; terram quam vobis dedit Gerbertus de Sancto Salvio et illam quam habetis ex dono Hugonis de Maisnil ; libertates quoque et omnes quarumlibet consuetudinum immunitates quas vobis ab illustri Henrico Anglorum rege constat esse concessas super animalibus et quibuslibet propriis rebus et mercatibus vestris per universum regnum et ducatum suum in terra, aquis et in omni portu marino, in civitatibus, vicis et in omni loco vobis nichilominus confirmamus. Sentenciam vero quem adversus monachos de Pinu de ipso monasterio vestro a venerabili fratre nostro Hugone archiepiscopo et ecclesia Rothomagensi canonice lata est ratam et inconvulsam perpetuis temporibus manere sancimus. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus vel monachus sive laicus decimas a vobis exigere presumat. Prohibemus etiam ut nulli fratrum vestrorum post factam in vestro monasterio professionem liceat ex eodem claustrō discedere ; discedentem vero nullus sine litterarum vestrarum cautione audeat retinere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis pro futura salva sedis apostolice auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita si non satisfactione congrua emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domni nostri Iesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipient et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Data Parisius per manum Normanni sancte Romane ecclesie subdiaconi et notarii II idus aprilii, indictione Xa, incarnatione dominice anno M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LX<sup>o</sup>III<sup>o</sup>, pontificatus vero domni Alexandri pape III anno IIII<sup>o</sup>.